



QUOD FELIX FAUSTUMQUE DEUS O. M. ESSE JUBEAT!

AD SOLEMNEM
INAUGURATIONIS ACTUM,

QUO

SUB SUMMIS AUSPICIIS REGIIS,

MAGNIFICI SENATUS GEDANENSIS

AUTORITATE,

PRAENOBILISSIMUS ATQUE DOCTISSIMUS

D O M I N U S

C A R O L U S

M O R G E N S T E R N

EX ILLUSTRIS CONCILIO PROFESSORUM ACADEMIAE REGIAE

FRIDERICIANAE

LIBERE EVOCATUS

ET

IN INCLYTO ATHENAEO GEDANENSI

ELOQUENTIAE ET POESEOS PROFESSOR ORDINARIUS

DESIGNATUS

PROVINCIAM HANC FIDEI SVAE COMMISSAM

PUBLICE SUSCEPTURUS EST,

IN AUDITORIO MAXIMO

ANNO MDCXCIX. D. XXIX NOVEMBRIS

HORA IX ANTEMERIDIANA,

CELEBRANDUM

URBIS PROCERES

CETEROSQUE HUIUS ATHENAEI ET BONARUM ARTIUM

PATRONOS ATQUE FAUTORES

DEBITA QUAE PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT,

STUDIOSAMQUE JUVENTUTEM

PERAMANTER CONVOCAT

D. DANIEL GRALATH, IUR. ET HIST. PROF. P. O.

GYMNASII INSPECTOR ET P. T. PRO-RECTOR.


GEDANI,

TYPIS DAN. LUDOV. WEDEL, REG. MAGNIF. SENATUS

ET ATHENAEI ILLUSTRIS TYPOGRAPHI.

ESTIOA

A. 2815.



4414

241005478

Non semel Athenaeo nostro ea contigit gloria, ut ex ipsius Doctoribus lecti fuerint et evocati, qui ad amplissima Academicarum munera et honores adveherentur; cum vicissim crebra non minus essent Celeberrimorum Virorum exempla, quos dignitatum et operarum academicarum partes, cum Gymnasii nostri muniis commutavisse, nunquam poenituit. Hac mutua et plenissima fere quondam facta, literarum communiōne perinde ac literatorum hominum consuetudine, evenire nec potuit, quin illustris haec schola, quae praestantissimos semper, in sua quemque disciplina, Praecipientes sustineret, cujusvis Academiae aemula propemodum habita, neque Junioribus solum ad jacienda eruditionis fundamenta profuerit, sed academicos etiam et altioribus disciplinis imbutos acceperit cives, quos saepenumero impensius et accuratius hic edoctos, rem publicam ac literariam, cum plausu ingressos fuisse, manifestum tenemus. Ad eandem illam Athenarum nostrarum laudem et existimationem tuendam, nos quidem praeclaris Majorum vestigiis insistere, neque hodiernum aliquid vetat, aut impedire videtur. Quum autem, ipsius scopi ratione, unumquemque arrogantiae colorem vitare, congruens esse adpareat; non tam studiorum academicorum gravitatem, petere nos et ambire gestimus, sed ea potius, quae universae eruditionis utilitati provehendae inserviant, rerum fundamenta ac disciplinarum elementa, docere et propagare conamur: in quem finem bo-

narum artium exercitationes, et literarum atque linguarum maxime antiquiorum excolendarum doctrinae, principem omni tempore locum in scholis nostris tenuerunt.

Quae cum ita se habeant, graviter admodum luximus, jacturam ante aliquod tempus praematura morte p. d. *Cofakii*, Viri Eruditissimi factam, quem in provincia Eloquentiae et Poeseos artes docendi, perquam eximium, ut et in omni literarum humaniorum studio versatissimum ac egregie doctum coluimus. Annuit autem GRATIOSISSIMI REGIS nostri indulgentia, providae Patrum curae, qui musarum nostrarum vulnus ex votis ita sanarunt, ut novi ejusdemque Dignissimi Professoris, vacuis hisee muniis iterum praeficiendi, inauguratio jam celebranda instet, et laetis auguriis annuntiari queat.

Est Ille Vir Praenobilissimus et summopere colendus, *Carolus Morgenstern*, cujus eruditionem praestantissimamque docendi ac venuste scribendi copiam, tanta cum nominis sui celebritate, Orbis Literarii suffragia extollunt, ut laudes meas longe iisdem inferiores subjunxisse, supervacaneum et inutile foret. Quae vero de vita scriptisque *Ipsius*, et liberaliori quavis ad studia educatione, paulo propius cognosci merentur, eorum delineationem propria sua manu exaratam, more consveto hic exhibendam esse duxi: Est ea sequentis tenoris:

* * *

CAROLUS MORGENSTERN natus est Magdeburgi d. V. Cal Sept MCCLXX, patre *Friderico Simone Morgenstern*, Medicinae Doctore, Civitatis Parthenopolitanae Archiatro &c.

et

et *Joanna Catharina Broemmia*, Senatoris Magdeburgensis filia. Optimum patrem, doctrinae laude, scriptis etiam parta, inter eos, qui tum artem medicam in illa urbe exercerent, facile principem, immatura puero abstulit mors, MDCCLXXXII. Diutius benignissimum numen filio matrem concessit, cui tantum se debere non sine liquida voluptate fatetur, quantum dignissimae parenti deberi ullo modo potest; rarae virtutis matronam, morum sanctitate indefessoque alios iuvandi studio in paucis venerabilem, pluribus etiam libris, oeconomicis, asceticis, paedagogicis a se editis, (pro quibus quae a librariis accepit honoraria, ea nunquam in usum suum convertit, sed ad levandam civium quorundam egestatem, ut alia, filens contulit) de sexu suo praelare meritam.

Hanc matrem se habuisse (cheu habuisse! nam vivere, id est, prodesse desit MDCCXCVI, secundo matrimonio iuncta cum *Jo Sigismundo Schulzio*, Senatore Magdeburgensi,) semper summis Dei beneficiis vitaeque solatiis gratus adnumerabit; non minus, quam quod adolescenti obtigit praeceptor ad eliciendas ex puerorum animis veri atque honesti scintillas, si quis alius, idoneus, *Theophilus Benedictus Funk*, Scholae Cathedralis, quae Magdeburgi est, Rector eximius.

Scholae

Scholae stadium emensus, et literarum humaniorum, disciplinarum historicarum, philosophicarum, mathematicarum initiis probabiliter, ut quidem magistris suis tum videbatur, imbutus, postquam per quinquennium primae classis civis fuisset, in Academiam, quae Halis Saxonum floret, Fridericianam, aetatis suae anno octodecimo profectus est. Hic iis doctrinis, quibus hominis humanitatem omnium maxime excoli constat, praecipue studiis philologicis et philosophicis, totum se tradidit, sex annis tum in audiendis Professorum lectionibus, tum in otio literario consumptis, praestantissimorum in literis atque artibus liberalibus virorum, quibus tum Halae, tum regiones vicinae abundant, favore et consuetudine fruens. In primis *Eberhardi* et *Wolfii*, Celeberr. Virorum, erga se benevolentiam nunquam non piâ recolet memoriâ, *illius* sermonibus atque exemplo ad Philosophiam, cuius decore iam adolescentis animus captus erat, ardentius adamandam incensus; *huius* autem praecipis atque institutione antiquis literis initiatus; in primis quum per triginta menses Seminarii Philologici, quod Halis effloruit, esset Sodalis. Demum ineunte anno huius saeculi nonagesimo quarto, ut quae a principio studiorum suorum animo designaverat, perficeret, tale nimirum vitae genus semper sibi exoptans et praeparans, in quo literis, ceteris rebus longe

longe postpositis, omnis vivere posset, petuit summos in Philosophia honores, quos publice defensa, quae infra indicata est, Dissertatione sua, ab Ordine Philosophorum Regiae Fridericianae facile obtinuit. Paucis diebus post, quum aliam Disputationem a se conscriptam assumpto socio Praeses defendisset, ut publice docendi ius consequeretur, scholas academicas aperuit, in interpretandis Graeciae et Latini Scriptoribus, in tradenda Historia Philosophiae a prima eius origine usque ad nostram aetatem, aliisque eiusmodi exercitationibus publicis gnaviter occupatus, et quum suis lectionibus Commilitonibus non plane inutilis videretur, haud longo tempore post a Rege elementissimo Philosophiae extra ordinem Professoris honore et munere auctus.

Halis magnam gentis suae partem habebat, ut haec urbs ei altera patria videretur; habitabat ibi in domo *Niemeyeri*, V. Summe Rev., per multos annos artificissima atque suavissima cum eo eiusque familia consuetudine, neque deerant in cursu academico spes laetissimae. Quapropter vix olim putasset, se ab alma hac Musarum sede unquam abstrahi potuisse. Quum igitur a MDCCXCVII. mense Julio a Magnif. Senatu Civitatis Gedanensis ei post b. *Cosakii* obitum, munus Professoris Eloquentiae et Poëcos ordinarii in

in huius urbis Athenaeo humanissime offerretur: animi dubius, qua fortunae via certissime perveniret, ad quae aliquando consequenda omnem vitam conformasset, Senatui rescripsit, se, nisi concessis conditionibus quibusdam a se proponendis, quarum una ad iter certo quodam tempore ad externos, in primis in veterum Romanorum patriam a se instituendum spectabat, vocationi honorificae obtemperare nullo modo posse. Jam praedicanda est Amplissimi huius Collegii summa humanitas atque liberalitas. Audito enim proposito, statim Regiam concessionem omnium, quae optarentur, petiit, eaque tandem impetrata, Morgensternium denuo ad capeffendum munus, iam multo arridentius, invitavit. Quam invitationem ille mense Augusto, quum forte Dresdae ad cognoscendos, qui ibi servantur, artis et doctrinae veterum ac recentiorum thesauros commorarentur, accepit, statimque, sine ulla cunctatione, ad mutandas muneris et domicilii rationes se accinxit. Primis Novembris diebus Gedanum, itinere per Berolinum et Sedinum facto, pervenit, ibique paucis his diebus iam tot favoris ac benevolentiae documentis se cumulatum laetus praedicat, ut faustum vitae cursum in florentissima hac urbe sibi augurari posse videatur. Gratum animum aperiet in Oratione adituali, qua simul de eorum studiorum, quorum regimen sibi in illustris Athenaei iuventute commissum est,

ratione

ratione quae sentiat, expromet, publice dicturus de literarum humaniorum vi ad sensum veri, honesti et pulchri excitandum atque acuendum. Subiungitur ex more

Eorum, quae scripta edidit, Index.

Abhandl. über edle Simplizität der Schreibart. In collectione ab Eberhardo edita: *Philos. Archiv.* I. B. I. St. n. 1. 1792.

Die Menge des Lebens im Weltall. Eine Rhapsodie. In *Eberhards Philos. Magazin* III. B. IV. St.

Disf. inaug. *De Platonis Republica* Comm. I. De proposito atque argumento Operis. Halis Sax. 1794 8 maj.

Disf. pro loco: *De Platonis Republ.* Comm. II. *Doctrinae moralis Platonicae nova Adumbratio, ex eodem potissimum opere atque ex reliquis Philosophi scriptis facta.* Hal. Sax. 1794 8 maj.

Quid Plato spectaverit in Dialogo, qui Meno inscribitur, componendo: Commentatio praelectionibus in Acad. Fredericiana a se habendis praemissa. Hal. Sax. 1794 4.

De Platonis Republica Commentationes tres: I. De proposito atque argumento operis Disquisitio. II. *Doctrinae moralis Platonicae ex eodem potissimum opere nova Adumbratio.*

tio. III. Civitatis ex mente Platonis perfectae Descriptio atque Examen. Halis Sax. 1794, 1795 8 maj.

Abh. Ist das Erhabene mit dem Schönen in Einem Gegenstande vereinbar? In der Neuen Bibliothek der sch. Wissenschaften und fr. Künste, LVII. B.

Ueber Horazens ein und zwanzigste Ode des ersten Buchs. Ebendaf.

Ueber Wilhelm Meisters Lehrjahre I. und II. Band Ebendaf.

Ueber des Hrn. Grafen Fr. Leop. zu Stolberg Uebersetzung auserlesener Gespräche Platons. Ibid. Tom. LIX. Etiam seorsim edit. Lipsiae, 1797 8 maj.

Abhandl. Ueber Platons Verbannung der Dichter aus seiner Republik, und seine Urtheile von der Poesie überhaupt. In d. N. Bibl. d. sch. Wiss. LXI B. I. St. 1798.

Ueber ein historisches Gemälde von Io. Dominicus Fiorillo: Lucretia. Ebendaf.

Plato und Rousseau. Fragment einer Parallele. Im Neuen Teutschen Merkur, Jahrg. 1795. März.

Ueber das Kupferwerk: La Divina Comedia di Dante &c. Disegnata da Giov. Flaxman, ed incisa da Tommaso Piroli Ebendaf. Jahrg. 1798. März.

Ueber

Ueber Rafaele Marie in der Churf. Gallerie zu Dresden. Ebendaf. Jahrg. 1798. Fasciculo noviss.; aliaque in eiusdem Wielandii Ephemeridibus.

M. Tull. Ciceronis in Lucium Catilinam Oratio prima. Des M. Tull. Cicero erste Rede wider Lucius Catilina. In einem hin und wieder verbesserten Texte und einer neuen Uebersetzung nebst kritischen Anmerk. und einem erklärenden Commentare. Halle und Leipz. 1796 gr. 8.

Entwurf von Platons Leben, nebst Bemerkungen über dessen schriftstellerischen und philosophischen Charakter: a. d. Englischen übersetzt, mit Anmerkungen und Zusätzen über Platon, Aristoteles und Bacon versehen. Leipz. 1797 gr. 8.

De Velleii Paterculi fide historica, in primis de adulatione ei obiecta Commentatio critica, qua lectiones in Athenaeo Gedan. a se habendas indicit. Gedani, 1798. 4. Est sub prelo.

Censurae novorum librorum, qui ad Philologiam, Philosophiam et Artes pertinent, in pluribus Ephemeridibus literariis, ut: in der N. Bibliothek der sch. Wissensch. und fr. Künste; in den Annalen der Philosophie und des Philos. Geistes, herausg. von L. H. Jakob; in dem Philos. Journal, herausg. von J. H. Abich; in den Nachrichten

richten von gel. Sachen, herausg. von der Churf. Akademie
nützl. Wissensch. zu Erfurt; &c.

* * *

Hunc itaque *Virum de literis meritisimum*, et nobis jam
conjunctissimum factum, die et loco supra indictis, vigore
officii a *Magnifico* vrbis nostrae *Senatu* mihi injuncti, ex ca-
thedra superiori, in muneris sui partes immittam, brevi in
anteceffum praefamine, *Studii humanitatis Veterum, nostra qui-*
dem aetate rarioris facti, minime autem everfi, vel prorsus neglecti,
pro modulo meo *vindicias* daturus. Quo facto Ille, tanquam
Professor inauguratus, oratione adituali, qua *de literis humanio-*
ribus, sensum veri, honesti et pulchri excitantibus atque acuenti-
bus, pro humanitate et facundia sua, copiose ac ornate dictu-
rus est, praemissa, ex eadem cathedra, provinciam sibi de-
mandatam capesset.

Quod reliquum est, vt *Illustres et Amplissimi* Civitatis
nostrae *Proceres*, omnesque *literarum Fautores*, qui *Athenaeo*
nostro bene cupiunt atque precantur, perhonorifica et benevola
sua praesentia, hunc Actum splendidiorem reddere haud dedig-
nentur, debita observantia omnique obsequii significatione, contendo.